

## WAR ELEGIACS

*In piam memoriam juvenum  
nuper apud Universitates in coloniis Britannicis studentium  
qui mortem occubuerunt contra Germanos pugnantes.*

Quorsum hæc bella ferunt? cædem lacrimasque reportant:

Ver anni periit<sup>(1)</sup>: mansit inermis hiems:  
Uxores viduae fiunt: sine patre puellæ:

Tuque, decus nostrum, ponis, ephebe, libros.  
Aureus ille calix, argentea chorda soluta est<sup>(2)</sup>:

Desuit ante diem mens nova nosse nova.  
Spes flemus cassas, ramos sine flore peremptos:

Mors Erebusque adeunt: Mars et Erinnyn habet!<sup>(3)</sup>

Sed quid vita homini valet, ut desideret ipsam?

Quidve juventa valet, fiat ut ipsa dolor?  
Quid valet annorum series et inutile pondus?

Longo sæpe situ longior una dies.<sup>(4)</sup>  
Hi cecidere viri pro libertatis amore:

Et patriæ causâ: majus an ausit alis?  
Hi juvenes toto functi sunt munere vitæ;  
Quisque virile suâ parte peregit opus;<sup>(5)</sup>  
Nec juvenis cecidit quamvis florente juventâ:  
Re factâ, meritis laudibus, ille senex:  
Vulnera perpessus contraria, versus in hostem  
Occidit; at nostra vivit in æde memor.

Imperium potuit manibus per mutua nexis  
Jungere, diversas conciliare plagas;  
Crebrescantque novæ gentes: Australia ad astra  
Tollitur, et Canadæ rumor in ora virum:  
“ Longa quidem via fit Tiperaria, sed peragemus ”  
Sic canimus: vobis longa peracta via est:  
Nos animo tantum Berolini advenimus arcem:  
Sistitur at vobis agmen in arce Dei: